

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Simplicitas c cum fonte primo

Nichil dicitur uiro simplici.

Quid enim simplicitate dicitur que sicut bonus paterfamilias satis sibi habundat et sua puritate contenta non querit alienum nec abrodit, sed de ceteris fingit,

nec se in artes uarias sepe commutat sicut astucia que ut sit cauta, timet omnia, nec suis consiliis credit, uersat ipsa suas sententias, simplicitas autem timere nil nouit?

Ambrosius in Hexameron.

hoc est enim: pretium meum cogitauerunt repellere, quia pretium nostrum pudicitia est, quae nos separat a pecudibus, angelis iungit; pretium nostrum misericordia est, quae nos, dum confertur inopibus, redimit a morte; pretium nostrum fides est, quae omnes homines gentili errore et seruitute depressos Christo adquisiuit; pretium nostrum bona existimatio est, qua uniuscuiusque nostrum meritorum series aestimatur; pretium nostrum munditia atque simplicitas est, quia scriptum est: possessio pretiosa uir mundus; nihil enim pretiosius uiro simplici. unde apostolus pulchre: abundauit, inquit, in diuitiis simplicitatis suae.

quid enim simplicitate ditius, quae sicut bonus pater familias satis sibi abundat et sua puritate contenta non quaerit alienum nec abrodit, sed de se ceteris fundit?

innocens enim credit omni uerbo nec se in artes uarias saepe commutat sicut astutia, quae, ut sit cauta, timet omnia nec se consiliis suis credit, uersat suas ipsa sententias; simplicitas autem timere nil nouit.

Ambrosius Mediolanensis, *Explanatio Psalmorum XII.*, 61, 21, 1-2 (CSEL 64, M. Petschenig ed., M. Zelzer ed., p.391, ll.14-30).